S. Credo te ex Jacobo nostro cognovisse actiones
Bohemicas; Illius literae nonnihil me perturbarunt,
cum in iis legerem, ita te meas accepisse, quasi
ego scripserim, editionem epistolae omnium turbarum Bohemicarum
causam esse. Neque certe hoc mihi in mentem
venit, sed quosdam malevolos in sua sen-
tentia confirmatos, quasi fratres vobiscum sentiant,
tibi indicare volui. Bene autem res sese habet,
cum Caesar illos securos esse iusserit, et praecipui
viri, fratres, ut fratres complectantur. Det
dominus ut hoc quod ceptum est, ad nominis
sui gloriam et regni sui incrementum perficiatur.
Multos perturbat durum genus, et illa quae
ad Rhenum novantur. Est concio quaedam Olevi-
ani edita, in qua novum a scriptura et ab omnibus
veteribus et recentibus orthodoxis alienum dogma
Ecclesiis conatur obtrudere. Primum et principa-
lem finem Coenae domini esse gratiarum actionem,
Obsignationem κοινωνίας cum corpore et sanguine
Christi minus principalem et ex pacto gratiarum
actionis consequentem, quod idem de omnibus bonis
operibus et toto cultu Eucharistico dici potest.
Hoc dogma cum ~~[illegible]~~ et usum proprium
Sacramenti evertat et in eius locum Sacrificium
Eucharisticum substituat, quantum quaeso ab
Anabaptistico et Suenckfeldiano somnio abest?
Quid obsecro plausibilius et ~~at~~ optatius fingi
contentiosis hominibus arbitraris? Δέδοικα ne
haec magnum bonae causae malum trahant. Itaque
te per Christum oro, ut acriter hoc novitatis studium
reprimas, et vel tuum in eam iudicium vel publice
(quamquam hoc factum est saepe) tibi istas κενοφωνίας

ἐκ ξενοφῶντος disciplinae ostendas. Hic nihil dum actum.
Palatinus Elector domi remansit, nisi fallor propter quam causam
valetudinis excusatione uti maluit, sed multitudine et publi-
cae et Ecclesiae Christi illius praesentia pro tempore potuerat,
et simultates, max. malorum causas, autoritate Caes. interposita
deponi. De Polonicis animus meus à bona spe abhorret.
Si id quod dici voluit, nimirum et propugnaculum Chri-
stiani orbis, esse vellent, reliquias Pannoniae conservan-
das potius, quam deserendas statuerent. Errant si
credunt se tutos fore, ubi Turcica rabies Hungaria
potita fuerit. Bene vale Ratisbonae Nonis VIII. 62
Tui observ.

[Datum: „Nonis VIII. 62" (?)
– also 7. Aug. 1562 (?)]

Praestantissimo viro D. Theo-
doro Bezae p. d. & amico s.
obs.

[?] Crato.
(Hand Schefflers)